

corpore dominico: ut præret in capite Ecclesiæ quod corpus Ecclesiæ speraret in fine: Jam etiam dies dominicus: id est octavus, qui & primus, inciperet celebrari: Ipsa etiam causa intelligitur, cur observandum pascha, ubi agnum occidere & comedere jubentur: quod manifestissime passionem Domini præfiguratur: non eis ita præceptum est, ut attendere occurrere sabbatum: & cum mensis novorum & tertiam lunæ hebdomadam concurrere, ut eundem quoque diem Dominus potius sua passione signaret: qui etiam dominicum, id est, octavum qui & primus est declaraturus advenerat.

Attende igitur sacratissimum triduum crucifixi, sepulti, suscitati. Horum trium opere quid significet crux, in præfenti agimus vita: quid autem significet sepultura & resurrectio, fide ac spe gerimus. Nunc enim dicitur homini: Tolle crucem tuam & sequere me. Cruciatum autem caro, cum mortificatur membra nostra, quæ sunt super terram, fornicatio, immunditia, luxuria, avaritia: & cætera hujusmodi: de quibus idem dicit: Si secundum carnem vixeritis, morietur: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Hinc etiam de seipso dicit: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Et in alio loco: Scientes, inquit, quia vetus homo noliter simul confusus est cruci cum illo: ut evacuetur corpus peccati: ut ultra non serviamus peccato.

Quamdiu ergo ita agunt opera nostra, ut evacuetur corpus peccati, quamdiu exterior homo corrumpitur, & interior renovetur de die in diem, tempus est crucis. Hæc sunt etiam bona opera quidem: tamen adhuc laboriosa: quorum merces est requies. Sed ideo dicitur: Spe gaudentes, ut cogitantes requiem futuram, cum hilaritate in laboribus operemur. Hanc hilaritatem significat crucis latitudo in transverso ligno, ubi figuratur manus. Per manus enim opera intelligimus. Per latitudinem hilaritatem operantis, quia tristitia facit angustias. Per altitudinem vero cui caput adjungitur, expectationem retributionis de sublimi iustitia Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua: In his quidem qui secundum tolerantiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem querentibus vitam æternam. Itaque etiam longitudo qua totum corpus extenditur, ipsam tolerantiam significat: unde longanimes dicuntur, qui tolerant.

Profundum autem, quod terræ infixum est, secretum sacramenti præfiguratur. Recordaris enim, ni fallor, quæ verba apostolica in ista designatione crucis expediunt: ubi ait: In charitate radicati atque fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum. Ea vero quæ nondum videmus & nondum tenemus: sed fide & spe gerimus: in alio biduo figurata sunt. Hæc enim quæ nunc agimus, tanquam clavis præceptorum in Dei timore confixit, sicut scriptum est: Confige clavis à timore tuo carnes meas: in necessariis deputantur, non in eis quæ per seipsa appetenda & concupiscenda sunt. Unde illud quod est optimum se dicit concupiscere: Dissolvi & esse cum Christo. Manere autem in carne necessarium, inquit, propter vos. Quod ergo inquit: Cupio dissolvi & esse cum Christo: Inde incipit requies quæ non interruptitur resurrectione, sed clarificatur: quæ tamen nunc fide retinetur: Quia iustus ex fide vivit. An ignoratis, inquit, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti ergo illi sumus per baptismum in mortem, unde nisi fide? Neque enim jam in nobis perfectum est adhuc in nobismetipsis ingemiscentibus adoptionem & expectantibus redemptionem corporis nostri. Spe enim facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. Quod memento quam sæpe commemorem ne jam nunc in ista vita nos beatos fieri debere arbitremur: & ab omnibus difficultatibus liberos: ac sic in angustiis rerum temporalium adversus Deum ore sacrilego murmuremus, quasi non exhibeat quod promissit. Promissit quidem etiam huic vitæ necessaria: Sed alia sunt solatia miserorum: alia gaudia beatorum. Domine, inquit, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, exhortationes tuæ jucundaverunt animam meam.

Non ergo murmuremus in difficultatibus, ne perdamus latitudinem hilaritatis: de qua dicitur: Spe gaudentes, quia sequitur: In tribulatione patientes. Nova ergo vita in fide

nunc inchoatur & spe geritur. Nam tunc perfecta erit, cum absorbebitur mortale à vita, cum absorbebitur mors in victoriam, cum illa novissima inimica destruetur mors, cum immutati fuerimus, & æquales angelis facti. Omnes enim, inquit, resurgemus, sed non omnes immutabimur. Et Dominus: Erunt, inquit, æquales angelis Dei. Apprehensi enim sumus modo in timore per fidem: tunc autem apprehendemur in charitate per speciem. Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem. Ipse itaque Apostolus qui dicit: Tunc apprehendam sicut apprehensus sum, aperte se non apprehendisse confitetur. Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse. Sed tamen quia ipsa spes ex promissione veritatis certa nobis est, cum diceret, Consepulti igitur sumus illi per baptismum in mortem, subjungit & ait: Ut quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

Ambulemus ergo in re laboris sed in spe quietis: in carne vetustatis, sed in fide novitatis. Dicit enim: Corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus autem vivit propter iustitiam. Si autem spiritus eius qui suscitavit Jesum Christum à mortuis habitat in vobis: qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem spiritum eius in vobis. Hoc ex autoritate divinarum scripturarum & universæ Ecclesiæ quæ toto orbe diffunditur consensione, per anniversarium pascha celebratur. In magno utique sicut jam intelligis sacramento: & in scripturis quidem veteribus ad agendum pascha, non est præceptum tempus, nisi ex mensis novorum: à luna quarta decima, usque ad vicefimam primam. Ex Evangelio tamen quia jam manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus sit: & in sepultura fuit & resurrexit: adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio per patrum concilia: & orbi universo Christiano persuasum est, eo modo pascha celebrari oportere. Quadragesima sane jejuniis habet auctoritatem & in veteribus libris ex jejuniis Moysi & Helie, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire à lege & Prophetis. In persona quippe Moysi lex, in persona Helie Prophetæ accipiuntur: Inter quos & in monte gloriosus apparuit: ut evidentius emineret quod de illo dicit Apostolus: Testimonium habens à lege & a prophetis. In qua ergo parte anni congruentius observatio quadragesimæ constitueretur, nisi consini atque contigua dominica passio: Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia: ut ab ipsius mundi amicitia jejunetur, quæ utique fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos circumspargere atque jactare non cessat.

Numero autem quadragesimæ vitam istam propterea figurari arbitror: quia denarius in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario: quia redit ad primum: Ita in hoc mihi videtur exprimi, quia creatura, quæ septenario figuratur, adhæret creatori: in quo declaratur unitas trinitatis per universum mundum temporaliter annuncianda: quia mundus & à quatuor ventis delimitatur, & quatuor elementis erigitur, & quatuor anni temporum vicibus variatur. Decem autem quaterni in quadraginta consumuntur: quadragesimæ autem partibus suis computatus, addit ipsum denarium, & sunt quinquaginta, tanquam merces laboris & continentie. Neque enim frustra ipse Dominus, & quadragesima dies post resurrectionem in hac vita & terra cum discipulis conversatus est: & posteaquam ascendit in cælum, decem diebus interpositis promissum misit spiritum sanctum. Completo die Pentecostes: qui dies quinquagesimæ habet alterum sacramentum, quod septies septem, quadraginta novem sunt: & cum reditur ad initium, quod est octavus qui & primus dies: quinquaginta complentur, qui celebrantur post Domini resurrectionem: jam in figura non laboris, sed quietis & lætitiæ: propter hoc & jejunia relaxantur, & stantes oramus: quod est signum resurrectionis.

Unde etiam omnibus diebus dominicis id ad altare observatur, & alleluia canitur, quod significat actionem nostram futuram non esse nisi laudare Deum, sicut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Sed dies quinquagesimæ & in scripturis commendatur: non tantum in Evangelio, quia tunc spiritus sanctus advenit: sed etiam in veteribus libris. Nam & ibi posteaquam pascha occiso agno celebraverunt: dies quinquaginta numerantur, usque ad diem, quo lex data est in

monte Sina famulo Dei Moysi, digito Dei scripta: In libris autem Evangelii apertissime declaratur digito Dei significare spiritum sanctum. Cum enim unus Evangelista dixisset: In digito Dei eicio dæmonia: alius hoc idem ita dixit: In spiritu Dei eicio dæmonia.

Quis hæc lætitiarum divinarum sacramentorum, cum sanæ doctrine luce clarescunt, non præferat universi mundi hujus imperiis, etiam inusitata felicitate placatis? Nonne tanquam duo seraphim clamant adinvicem concinentiam laudis altissimo: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth? Ita duo testamenta fideliter concordantia, sacramenta concinunt veritatem Deo. Occiditur ovis, celebratur pascha, & interpositis quinquaginta diebus, datur lex ad timorem scripta digito Dei. Occiditur Christus qui tanquam ovis ad immolandum ductus est, sicut Isaias testatur. Celebratur autem pascha, & interpositis quinquaginta diebus datur ad charitatem spiritus sanctus qui est digito Dei, contrarius hominibus sua quærentibus: & ideo jugum aperum & facinram gravem portantibus, nec invenientibus requiem animabus suis: quia charitas non querit quæ sua sunt. Ideo animositas hereticorum semper inquietata est: quos magorum Pharaonis habere conatum, declarat Apostolus dicens: Sicut enim Johannes & Mambres resistunt Moysi: sic & isti resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed ultra non proficiunt. Dementia enim eorum erit manifesta omnibus, sicut & illorum fuit. Quia enim per ipsam corruptionem mentis inquietissimi fuerunt, in signo tercio defecerunt: fatentes sibi adversum esse spiritum sanctum qui erat in Moysi. Nam deficientes dixerunt: Digito Dei est hic. Sicut autem conciliatus & placatus spiritus sanctus, requiem præstat mitibus & humilibus corde: ita contrarius & adversus immittes ac superbos, inquietudine exagitat. Quam inquietudinem mulcæ ille gravissima significaverunt, sub quibus Magi Pharaonis defecerunt dicentes: Digito Dei est hic. Exodum lege, & vide ubi pascha celebraverunt, post quot dies data sit lex. Loquitur Deus ad Moysen in monte Sina, in tertii mensis die. Nota ergo unum diem egressus ipsius tertii mensis, & vide quid dicat inter cætera: Descende, inquit, testare populo & purifica illos hodie & cras, & lavent vestimenta tua, & sint parati in diem tertium. Tertia enim die descendit Dominus in montem Sina coram omni populo: tunc data est lex, tertio scilicet die tertii mensis.

Numera itaque à quarto decimo primi mensis die, quo factum est pascha, usque ad diem tertium tertii mensis: & invenies decem & septem dies primi mensis: tringinta, secundum: tres, tertii: qui sunt quinquaginta. Lex in arca est, sanctificatio in corpore Domini, per cuius resurrectionem nobis requies futura promittitur, ad quam percipiendam spiritu sancto charitas inspiratur. Spiritus autem nondum erat datus, cum Jesus nondum erat clarificatus. Unde propheta illa cantata est: Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tue. Urge requies, ibi sanctificatio. Unde nunc ut amemus & desideremus, pignus accepimus.

Vocantur autem ad requiem alterius vite quo ab ista transitur: quod pascha significat, omnes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Propterea quinquagesimæ numerus ter multiplicatus, addito ad eminentiam sacramenti ipsi ternario, in illis magnis piscibus invenitur: quos jam Dominus post resurrectionem novam vitam demonstrans, à dextera parte levati imperavit: nec retia rupta sunt, quia tunc hereticorum inquietudo non erit. Tunc homo perfectus & quietus, purificatus in anima & in corpore per eloquia Domini casta, argentum igne examinatum, terræ purgatur septuplum accipiet mercedem denarium, ut sint decem & septem. Nam & in hoc numero, sicut in aliis multiplices figuras exhibentibus, sacramentum mirabile reperitur. Nec immerito etiam psalmus septimus decimus in Regnorum libris solus integer legitur, quia regnum illud significat, ubi adversarium non habebimus. Titulus enim ejus est: In die qua eruit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saul. Quis enim figuratur in David, nisi ille qui venit secundum carnem ex semine David? Qui utique in corpore suo, quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos. Unde illi persecutores quem voce mactavit, & in suum corpus trajiciens quodammodo manducavit, sonuit de cælo: Saule Saule quid me persequeris? Quando autem eruetur hoc corpus de manu omnium inimicorum ejus, nisi cum & illa novissima

inimica destruetur mors? Ad hoc tempus pertinet numerus ille centum quinquaginta-trium piscium Natæ & ipse numerus septimus-decimus surgens in trigonum, centum quinquaginta-trium summam complet. Ab uno quoque usque ad decem & septem surgens omnes medios adde: & invenies ad unum scilicet: & adde duo, sunt utique tria: adde tria, sunt sex: adde quatuor, sunt decem: adde quinque, sunt quindécim: adde sex, sunt viginti unum: adde ita cæteros & ipsam decimum septimum, sunt centum quinquaginta-tria.

Hæc de scripturis firmissime tenentur: id est pascha & Pentecoste. Nam ut quadragesima illi dies ante pascha observentur, Ecclesiæ consensus roboravit: Sic etiam ut octo dies neophytorum, distinguantur à cæteris: id est, ut octavus primo concinat. Ut autem Alleluia per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur alibi atque alibi: ipsis tamen diebus ubique. Ut autem stantes in illis diebus & omnibus dominicis oremus: utrum ubique servetur ignoro: tamen quid in eo sequatur Ecclesia, dixi ut potui: & arbitror esse manifestum.

De lavandis vero pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, quam docendam venerat, commendaverit: sicut ipse consequenter exposuit: quæsitum est: quoniam tempore potissimum res tanta etiam facta doceret, & illud tempus occurreret, quo ipsa commendatio religiosus inhaereret. Sed ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt. Aliqui autem ut hoc sacratiore tempore commendaretur: & à baptismi sacramento mutaretur: vel diem tertium octavarum: quia ternarius numerus in multis sacramentis maxime excellit: vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent elegerunt.

Miror sane quid ita volueris, ut de his quæ variè per diversa loca observantur, tibi aliqua conscriberem: cum & non sit necessarium, & una in his saluberrima regula retinenda sit: ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores: & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris: ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus: non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur: si aliquorum infirmitas, non ita impedit ut amplius detrimentum sit: Si enim eo modo impediatur, ut majora studiorum lucra spectanda sint, quam cælestium detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est: maxime illud quod etiam de scripturis defendi potest: sicut de hymnis & psalmis canendis: cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta & exempla & præcepta de hac re tam utilia. Ad movendum piè animum & accendendum divinæ lectionis affectum, varia consuetudo est: & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt: ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobriè psallimus in Ecclesia divina cantica Prophetarum: cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmodiarum humano ingenio compositorum quasi ad tubas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus cum in Ecclesia fratres congregantur sancta cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut antiphæ clara voce deprecantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur. Aliis vero particulis temporum, quid melius à congregatis Christianis fiat, quid utilius, quid sanctius, omnino non video.

Quod autem instituitur præter consuetudinem ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum: Etiam si multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis dolco, quia multa quæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur: & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelivit. Omnia itaque talia quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur: nec in conciliis Episcoporum statuta inveniantur: nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt: sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur: ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituentis homines secuti sunt: ubi facultas tribuitur sine ulla dubitatione rescandanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint:

ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt: ut tolerabilior sit conditio Judaeorum: qui etiam si tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subijciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat: & tamen quae sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Itaque illud quod scripsisti: quosdam fratres ita temperare à carnibus edendis, ut immundos qui comedunt arbitrentur, apertissime contra fidem sanamque doctrinam est.

Sed hic se ego diutius disputare voltero: poteris putare ante in illis obscuri aliquid hinc Apostolum praecipisse: qui etiam, post multa quae de hac re dixit, sic detestatus est haereticorum impiam opinionem, ut diceret: Spiritus autem manifeste dicit: Quia in novissimis temporibus recedant quidam à fide, intendentes spiritibus seductibus: & doctrinae demoniorum in hypocriti mendaciorum: cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentes nubere: abstinentes à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est: & nihil abijciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et alio loco de his rebus loquitur. Omnia, inquit, munda mundis: immundis autem & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum & mens & conscientia. Tu ipse lege cetera, & recita quibus potes, ne in se irritam faciant gratiam Dei: quia in libertate vocati sunt: tantum ne libertatem in occasionem carnis assumant. Et ideo jam voluit refrenandae carnalis concupiscentiae causa, à quibuslibet cibis temperari: quia non eis hoc permittitur superfluitate atque infideliter facere.

Hi vero qui de paginis Evangelicis sortes legunt: & si optandum est ut hoc potius faciant, quam ut ad demonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia & ad vitæ hujus vanitatem propter aliam vitam loquentia, oracula divina velle convertere.

Hac tibi si satis esse ad ea quae requisisti non putaveris: nimis ignoras & vires & occupationes meas. Tantum enim ab eo quod putasti nihil me latere, ut nihil in Epistola tua legerim tristius: quia & apertissime falsum est: Et miror quia hoc te latet: quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent: sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo nesciam plura quam sciam. Et ideo spem in nomine Christi non infructuosam gero: quia non solum credidi Deo meo, in illis duobus praecipis totam legem prophetasque pendere: sed etiam expertus sum, experiorque quotidie: quandoquidem nullum mihi sacramentum, aut aliquis sermo admodum obscurior de sacris literis aperitur, ubi non eadem praeccepta reperiam. Finis enim praeccepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et plenitudo legis charitas. Itaque & tu charissime, sive ista sive alia, sic lege, sic discere, ut memineris verissime dictum: Scientia inflat, charitas aedificat. Charitas autem non amulatur, non inflat. Sic itaque adhibeatur scientia, tanquam machina quaedam, per quam structura charitatis assurgat quae maneat in aeternum, etiam cum scientia destruetur: quae ad finem charitatis adhibita, multum est utilis: per se autem ipsam sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciose probata est. Scio autem quam te cogitatio sancta custodiat sub umbraculo alarum Domini Dei nostri. Sed ideo hac etsi breviter monui: quoniam novi eandem ipsam charitatem tuam, quae non amulatur: hanc Epistolam multis daturam atque lecturam. *

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Dictu mirum, quam hic liber diversus habebatur in exemplaribus. Nec idem erat initium, & alia in aliis supererant aut deerant, tum pleraque diversa habebantur. Stylus palam arguit, non esse Hieronymi, etiam si non indignum censeam qui legatur. Gustus phrasos non abhorret ab oratione divi Augustini.

* Superior istae disputatio de celebratione Pasche, est S. Augustini: consequens autem objurgatio existit inter Opera S. Ambrosii, cujus etiam

PUTO levius esse crimen ubi homo peccatum suum ulterius confitetur: quam ubi caelans mala, invitus detegitur & nolens publicatur. Quid taces anima? Quid cogitationibus astuas? Quid non erumpis in vocem & mentis tuae exponis ardorem: ut aliquod solatium capias? Hoc plane hoc erit quasi remedium quoddam aggritudinis tuae, si aperto ore conceptum digeris scelus. Nam & ulcus cum fuerit tumidum, quamvis suppuratum, evaporans praestat refrigerium passioni.

Audite nunc qui propè estis & qui longe, qui timetis Deum, & Ecclesiae ejus gaudio congaudetis, & tristitia conlugetis: sicut scriptum est: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Vos inquam appello, qui charitatem Christi verissimam retinetis, & non super iniquitate gaudentis, sed potius ingemiscitis. Advertite potius verba oris mei: & an hæc justo ex dolore procedant judicate, & detestati sceleris qualitatem mecum pariter perhorrete. Virgo nobilis, & dicata Christo, sapiens, erudita, ruit in foveam turpitudinis: concepit dolorem, & peperit iniquitatem: se perdidit, Ecclesiam maculavit. Hinc omnis anima Christiana grave vulnus accipit, quia datum est sanctum canibus, & margaritæ missæ sunt ante porcos. A rabidis enim hominibus laceratum est nomen sanctitatis, & ab immundis & luteis preciosum conculcatum est propositum sanctitatis & castitatis. Hinc æstus animo meo, hinc insanabilis dolor. Quia unum malum bona plurima secum trahit: & unius nubecula peccatricis, totam lucem pene obscuravit Ecclesiam. Audite me omnes populi, & videte dolorem meum. Virgines meae, & juvenes mei abierunt in captivitatem. Verè hæc est captivitas, ubi animæ peccato captivæ ducuntur.

Allumam ergo sermonem propheticum, & flebiliter dicam: Ad te nunc mihi meus sermo sit, quæ caput horum & causa malorum es: quæ multipliciter misera, cum gloria virginitatis nomen etiam perdidisti. Nefas enim est Susannam vocari non castam. Non licet nominare, quod non est. Unde incipiam: quid primum, quid ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti: an mala deseam, quæ invenisti? Eras virgo in paradiso Dei: utique in Ecclesia eras sponsa Christi, eras templum Domini, eras habitaculum Spiritus sancti. Et cum dico toties eras, necesse est ut toties ingemiscas: quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est: Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsu ejus in specie auri. Splendebas ut argentum, fulgebis ut aurum, sinceram conscientiam præferebas. Eras tanquam stella radians in manu Domini, nullas belli nebulas, nullum ventum, pertimescens.

Quæ est ista subita conversio? quæ est ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio fatana: de sponsa Christi, facta es scorum execrabilis: de Templo Domini, sanum immunditiae: de habitaculo Spiritus sancti, tugurium diaboli. Quæ incedebas cum fiducia ut columba, nunc lates in tenebris ut stellio. Quæ fulgebis ut aurum propter virginitatis decorem, nunc vilis facta es tanquam lutum platearum: ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens caelo, conversa es in carbonem nigrum. Væ tibi misera, & iterum væ, quæ tanta bona, parva temporis luxuria perdidisti. Quam tibi spem apud Christum Dominum reliquisti: cujus membra tollens, fecisti membra meretricis? Quis te Spiritus sanctus visitabit, cum eum repudiaveris qui te à cogitationibus quoque fordidis longe facit?

Sed veniamus ad humana, ut per illa divina cognoscantur. Aspice qui sanctorum, quæ sanctorum tibi approximare non horrent? Aperi oculos si potes: erige frontem si aures: aliquem sanctorum fiducialiter intueri. Nonne tuam faciem conscientiae commissa tanquam plumbum inclinant & premunt? nonne tenebræ ante oculos tuos ut dura caligo versantur? Nonne timor & tremor animam tuam & membra tua quassant? Si ergo homines in carne constitutos, & alij cuius forsitan delicti obnoxios non potes intueri, gravi utique confusione sepulta, quid facies coram castis Apostolis: quid facies coram Helia & Daniele, & tantorum exercitu prophetarum? Quid facies coram Maria? Quid facies coram

nomine inscribitur in MS. codice Monasterii S. Andreæ secus Avenionem.

Joanne

Joanne & Tecla, maculato thoro puritatis? Quid denique facies coram angelis sanctis: Nonne splendore & claritate immaculatum, quasi fulminibus percussa combureris?

Sed dictura es forsitan, non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondet tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus sociabus: & nos eadem carne amicta fuimus: nec tamen plenum propositum castitatis nostræ aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut savitia tyrannorum per varia tormenta dejicere. Revera non potest caro corrumpi nisi mens fuerit ante corrupta. Remanebit ergo in crimine anima, quæ carnem præcedit in crimine.

Sed dices: Nolui hoc malum, passa sum violentiam. Respondet tibi illa fortissima Susanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas: Ego inter duos presbyteros posita, inter duos utique iudices populi, sola inter sylvas paradisi constituta, vinci non potui quia nec volui. Tu ab uno ineptissimo adolescentente, in media civitate, quomodo iam poruisti perferre, nisi quia ultro violari voluisti? Quis denique tuas voces audivit: quis oblationes sensit?

Ut autem hæc omittam, certe post illatam violentiam detegere scelus, si non aliis, vel tuis parentibus, vel tuis fororibus debuisti. Elset enim excusatio infelicitatis: elset & conscientia plena purgatio, si hostem pudicitiae tuæ deduxisses in publicum. Sed erubuit, ne forsitan te violatam multi cognoscerent. Ut quid timuisti, ubi non erat timor: nisi ut tacendo crimen, cum adultero sepius te sociares? Esto autem pudor te prohibuit consistere, quid de secunda conjunctione dicis? quid de tertia? quid de frequenti commercio forditatis? Cessat, cessat jam violentiæ figmentum, cessat ruboris argumentum, ubi toties membra illa dicata Christo caelesti, mœchi tui visceribus polluenda præbuit.

Horret, horret animus meus, mens hebescit cum ad imum sceleris pervenitur. Nam & medicus quamvis fortis sit animi: tamen cum altius fecat vulnus, puto ex parte aliqua sustinebit horrorem. Heu perdita, jam ne intelligis omnes tibi vias excusationis penitus clausas? Jam ne sentis quantum tibi mali & in carne & in anima nefaria libido contulerit? Non istam de te confusionem tuas expectaverat pater, qui te sibi singularem gloriam computabat. Non hunc ludum & has lachrymas ex te sibi crediderat tua nasci mater, quæ partus sui genitus, per tuam virginitatem solabatur. Non fratres tui, non forores hoc ex te dedecus expectabant: quos omnes quasi uno gladio tui sceleris graviter faucisti. Si fuisses communi sorte defuncta, desissent te ad modicum parentes: sed exultarent gaudentes: quia immaculatam præmierint virginem, hostiam vivam Domino, propitiaricem suorum videlicet delictorum. Ad nunc plangunt mortuum & non mortuum, plangunt vivam & non vivam. Mortuam utique gloria virginitatis: vivam dedecore turpitudinis. Iratus est pater tuis visceribus, de quibus feminata es: Maledicere mater tuo utero, ex quo in hanc lucem infeliciter processisti: nec tamen modum suo dolori reperit, nisi hoc plane solum videntur sibi habere solatium, quia nec te pater compulit: nec mater coegit ut virginitatem profitereris, quam ultro & propria voluntate professæ es. Nam scio cum multis difficultatibus tua genitrix proponeret: cum arduum esset iter servandæ virginitatis integræ, te non solum pertinaciter resistisse: sed etiam revelationes tibi datas dixisse terribiles. In quantum ergo mercedem sibi sperabant, ex quo non tuo proposito resistenter, intantum tibi misera intellige pondus iudicii crescere, quia non servasti quod ultro promissisti.

Quibus te spiris serpens ille nequissimus obligavit? Quibus te venenis infecit ille qui Evam decepit: ut tanta te cecitate percuteret: ut tantam animæ tuæ faceret oblivionem? Non es memorata diem sanctum, diem dominicæ resurrectionis, in quo divino altari te obtulisti velandam. In tanto namque solenni conventu Ecclesiae Dei, inter lumina neophytorum, inter candidatos regni caelestis, quasi regina regi nuptura processeris. Non es memorata, qualis ad te die illo est facta allocutio: Aspice filia, intueri virgo, quantum ad sponsi tui & Domini gloriam convenerit populus: servare te oportet fidem quam sub tantis testibus polliceris. Semper cogita cui virginitatem sponderis tuam. Facilius te oportet sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem. Quantis in illo die consecrationis tuæ dicitis, & multis super castitate praconiis, sacro velamine tecta es: ubi omnis populus dotem tuam subscribens, non attramento, sed spiritu pariter clamavit: Amen.

Tom. V.

Vincor lachrymis, cum hæc recordor: compungor stimulis, cum ad hæc humana exempla considero. Nam si decem testibus sponalibus consummatis, quævis fœmina viro conjuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium: quid putas fore cum inter innumerabiles testes Ecclesiae, coram angelis & exercitibus caeli facta copula spiritualis per adulterium solvitur? Nescio an possit ei condigna mors ac poena excogitari. Dicit aliquis: Melius est nubere quam uri. Hoc dictum ad nondum pollicitam pertinet, ad nondum velatam.

Cæterum quæ se spondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortalis juncta est viro: & jam si voluerit nubere ecommuni lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est: quid de ea dicendum est, quæ occulta furtivaque turpitudine constupratur, & fingit se esse quod non est: habitu virgo, facta non virgo: bis adultera, & in aspectu, & actu. Sed ad te iterum redeo, quæ oblivionem tantorum passa honorum es: & receptaculum tantorum facta malorum es: Quomodo tibi in actu ignominioso illo non veniebat in mentem habitus virginalis, processus ad Ecclesiam inter virgineos choros? Quomodo oculos tuos non prestringebat lux virginalis: aures tuas non penetrabat hymnorum spiritualium cantus: mentem tuam non ventilabat lectio numerum caelestium virtus? Hoc vel maxime clamante Apostolo: Fugite fornicationem: Quia omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Et cum dicit, in corpus suum, tamen in Christum peccare demonstrat: quia subijgit, Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno: glorificate & portate Dominum in corpore vestro. Et iterum dicit: Fornicatio autem & immunditia, nec nominetur inter vos, sicut decet sanctos: & seposita omni adulatione, sententiam figit Apostolus: Hoc scitote, inquit, intelligentes: quia omnis fornicator aut immundus, non erit heres in regno Christi & Dei.

Hæc tanta & tam terribilia non veniebat tibi in mentem, cum ad illud opus nefarium tua membra peterentur: sed mortifera te oblivio tanquam in gurgitem altissimum demergebat: & quasi captivam execrabilis libido ducebat. Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas recordari debuisti: ad quem religiose & nobiles matrone certatim currebant, tua oscula petentes, quasi sanctioris, quasi dignioris? Nonne vel illa præcepta quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat recordari debuisti: divisa est mulier & virgo? Quæ non est nupta, sollicita est quæ Domini sunt, quomodo sit sancta corpore & spiritu. Tu autem in contrarium versans, ita agebas, ut nec corpore elles sancta, nec spiritu. Corpore quidem fornicando: spiritu autem virginitatem mentiendo. Proh nefas, solet fama subsequi factum: tuum autem malum fama prævenit. Nam cum ante triennium rumor quidam & susurratio de te fuisset: tu sinceritatem pretendebas, & vindictam de maledicis in Ecclesia publice postulas.

Quos æstus ego sustinui? Quos pater tuus pro tua sustulit opinione labores, requirentes singulos, singulos astringentes ut autorem infamiae inveniremus? Grave enim erat nobis & intolerabile de Dei virgine vel turpe aliquid dici. Nec hoc verita es, nec ante oculos habuisti: ut venires inimicis in gaudium, & eos haberes infensos, qui pro tua opinione laborabant. Multum audax multumque temeraria es: si te conscientia non terret, ut simulata virginitate, putes te etiam dominum posse fallere, quid dicit: Nihil occultum quod non revocetur: nec absconditum, quod non sciatur. Et vos, inquit, fecistis in occulto: ego autem faciam in manifesto: ille qui non mentitur furtivum scelus deduxit in publicum: & in conspectu solis hujus tenebrarum harum opera nudavit. O, inquit, qui præterdit sermone, crudeliora incurrit: & cupiens moderari non invenit.

Oblita ergo propositum, oblita parentes, oblita Ecclesiam totam, oblita gloriam virginitatis, oblita honorem dignitatis etiam præsentem, oblita promissionem regni, oblita terribile iudicium: amplexa es corruptionem & protulisti fructum confusionis: finem vero mortem fœvissimam & interitum sempiternum. Et certe non habes quod de nostra negligentia conqueraris. Quodcumque enim ad officium pertinuit pastoris, & tibi ut omnibus non negatum est. Dilectio specialis adhibita, communio sancta non desuit. Oblita domum patris, sicut scriptum est, ad monasterium virginalis transisti, ut inter tot posita, non solum dico tuta esse debuisti si voluisses: sed etiam de aliis tutam præstare debuisses. Sed frustra

M